

laycos, sicut patet de Clemente quinto, qui mortuo Henrico sexto instituit sacri imperii vicarium Robertum regem Sicilie⁴⁾. Secundo, supplet defectum regis vacante regno, Extra. de electione. *Cum inter universas* in fine⁵⁾; et isto modo vacante imperio constantinopolitano Honorius tertius coronavit Petrum comitem antisiodorensen in imperatorem Grecorum⁶⁾. Tertio, propter⁷⁾ defectum alicuius imperatoris aut regis, qui nolet aut negligeret iustitiam facere; tunc posset papa de illorum subditis iustitiam facere, Extra. de foro com. *Ex transmissa*⁸⁾ et in decretis xxiii. q. v. *Administratores*⁹⁾. Et ratio huius est, quia papa, cum sit dominus in spiritualibus et iustitia est virtus animi et per consequens spiritualis, si in imperio vel civitate aut regno pereat iustitia, papa potest iudicium exercere in quemcumque imperatorem vel regem⁷⁾. Item, si¹⁰⁾ in aliquo regno vel civitate insurgant guerre inter duos principes, cum tunc spiritualia pereant et anime dampnentur¹⁰⁾, potest¹¹⁾ papa^{c)} ambos principes vel ambas partes coram se vocare et finem littigiis et guerris imponere propter mandatum domini dicentis Deuter. xvii.¹²⁾, et inducit^{d)} Innocentius, qui filii^{e)} sunt legiptimi. *Per venerabilem*¹³⁾: 'Si difficile et ambiguum iudicium apud te^{f)} esse prospexeris, et iudicium intra portas variari videris, veniens ad sacerdotes levitici generis et ad iudicem' — id est ad summum pontificem — 'qui iudicabunt tibi iudicii veritatem, et facies^{g)} quemcumque dixerint tibi, qui presunt loco, quem elegerit dominus, sequerisque illorum consilium. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino deo tuo, decreto^{h)} iudicisⁱ⁾ morietur', id est per excommunicationis sententiam a comunione fidelium separatur¹¹⁾. Et isto modo papa se intromisit de multis controversiis factis inter electores imperii in Allemania et Franchia et Boemia et in aliis regnis. Et beatus¹⁴⁾ Germanus altisidoriensis, qui auctoritate pape in Anglia contra hereticos procedebat, deposuit regem Anglie et alium instituit, quia spiritualia destruebantur et anime periclitabantur; aliter iure suo non habebat proseguire in dyocessi aliena, nisi fuisset pape legatus¹⁴⁾. Item, cum imperator et omnes reges et principes sint subiecti pape in spiritualibus, oportet omnes summo pontifici obedire in spiritualibus et in omnibus, sine quibus destrueretur spiritualitas; sicut dico quod religiosus¹⁵⁾ tenetur obedire prelato secundum regulam et in illis^{k)}, sine quibus destructio regule sequeretur¹⁵⁾. Et in isto casu potest papa convocare imperatorem et omnes reges et principes¹⁶⁾ ad puniendum hereticos scismaticos et paganos; pro defensione ecclesie ymo potest eos per censuram ecclesiasticam cogere et indulgentias a pena et culpa indulgere et potest omnem hominem cogere ad invadendum saracenos¹⁶⁾, ubi plus¹⁷⁾ quam CL ecclesie cathedrales sunt destructe¹⁷⁾ et spiritualitas omnino periit. Et isto modo in Ytalia contra Yzillinum de Romano papa crucem

c) potest add. W d) indicit B e) simul BW f) se BW g) faciens B
h) de cetero B i) consilio BW k) in illis om. B

4) Vgl. MG. Const. 4, 2 Nr. 1164 S. 1205 f. und F. Baet hgen, *Mediaevalia* 1, S. 164 ff. und 171. 5) X. 1. 6. 18. 6) Pierre de Courtenay wurde am 9. April 1217 zum Kaiser gekrönt; vgl. Potthast, nach Nr. 5513. 7) propter — regem vgl. Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 216, 31—35. 8) X. 2. 2. 6. 9) C. 23 q. 5 c. 26. 10) Si — dampnentur vgl. Petrus de Palude, Tract. 217, 22—26. 11) potest — separatur vgl. ebd. 217, 35—218, 10. 12) Dt. 17, 8 ff. 13) X. 4. 17. 13. 14) beatus — legatus vgl. Petrus de Palude, Tract. 219, 19—23 und Vincenz von Beauvais, Spec. hist. 20, 11 S. 785. 15) religiosus — sequeretur vgl. Petrus de Palude, Tract. 215, 4—7. 16) principes — saracenos vgl. ebd. 215, 21—25. 17) plus — destructe vgl. ebd. 216, 1—4.